

X 1877096

II i
414

I. N. F.
DE

INGRESSU IN
SANCTUM SANCTORUM
PONTIFICIS HEBRÆORUM
SUMMI,

ad illustranda Capita Levit. 16. & Hebr. 9.
publicè cum aliis conferent

PRÆSES

THEODORUS DASSOVIUS,
Lingvæ Sanctæ & Orientalium reliqua-
rum Prof. Publ.

&

M. GABRIEL BERGER
Rigâ - Livonus.

Ad Diem XX. Jul. M. DC. XCII.

In Auditorio Majori,

WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.







§. 1.

Cum expiandus quotannis populus Hebræus esset, die solenni decimo, mensis, quem illi Tisri, nos Septembrem appellamus, debebat ingredi Pontifex Hebræorum summus Sanctum Sanctorum, ut veniam sibi populoque impetraret; licet Levitic. 23 v. 32. dicatur, hunc diem solennem fuisse diem 9. quæ loca conciliat *Menasse Ben Israel in Conciliatore, in Deut. c. 16. questione 130.*

§. 2.

Ingressurus autem, videbat diligenter de suis vestibus, nec aureo sed albo amictu, & quidem lineo utebatur, quemadmodum & ipsa Scriptura Sacra docet *Levit. 16. commate 4.* & Hebræi autores magno numero ad nos referunt. *Vid. Vajickra Rabba, Parascha 21. Fal-kuth in Pentat. num. 571. Ben Gersom, in Parascha*

A 2

achare

achare moth, Abarbanel in Perusch Hattora in eadem Parascha, Seba in Tzeror. Hammor eadem parasch. Siphra cum Korb. Abaron cap 1. Majmon. in Abhodat jom Haccippurim. cap 4. Mischna in joma cap. 3. Isaac Athias precepto affirmativo sz. in thesauro preceptorum.

§. 3.

Deserendus itaque *Piscator* est, qui in *Levitic. 16. v. 4.* commentatur: *Ceterum cum vestibus, quæ hic commemorantur, intelligenda simul sunt reliquæ, quæ enumerantur Exod. 28.* Sed ibi vestes aureæ enumerantur.

§. 4.

Excusandi tamen homiletici Scriptores quodammodo videntur, qui pias meditationes ex vestibus aureis, quibus Pontifex summus ingressus Sanctum Sanctorum fit, concinnarunt. De quibus legatur *Fesselius in Christo Mystico, tit. Aaron, aliq;*. Voluerunt enim dicere, vestibus aureis usum Pontificem, cum ministraret in templo in festo expiationis, ut mox explicabitur §. 7. non vero cum ingrederetur Sanctum Sanctorum, & sic phrasés distinctas videntur confudisse.

§. 5. Quan-

§. 5.

Quando autem disputatur, quales fuerint istæ vestes lineæ, eæque albæ, an fuerint eadem cum illis vestibus lineis, quibus induebatur Pontifex summus ordinariè, an verò fuerint præstantiores, & huic publico expiationis diei propriæ; Respondetur posteriorem sententiam Hebræis arridere. Scribitur enim *in joma c. 3.* quod illæ vestes lineæ fuerint geminæ, & matutinæ quidem fuerint Pelusiacæ, ex lino candidissimo, & pretiosissimo, in Ægypti oppido Pelusio concinnato, vespertinæ autem fuerint ex lino indico, molli quidem, sed itidem pretioso, inferiori tamen loco habito, quàm linum Ægyptiacum habebatur. Conferatur *Braunius libr. 2. de vestitu sacerdot. Hebr. c. 22. §. 9.* Quæ lini genera ex *Dionys. Alex. Silio Italico, & Luciano* eleganter illustrat *Seringhamius in libro de die expiationis, pag. 58. seqq.*

§. 6.

Atque eandem de vestibus geminis sententiam etiam alii Hebræi defendunt, ut vi-

A;

dere

vij.
dere est in *Falkuth loco §. 2. alleg.* Quicquid tamen sit de hac sententia, facile apparet ex aliis locis autorum Hebræorum, (ubi scribunt nunquam amplius usum fuisse Pontificem summum istis vestibus lineis, in quibus in festo expiationis ministrarat, *juxta Kotzensem parte 2 in Afod. jom. Hac. fol. 222. col. 3. fin.*) illas vestes diversas fuisse à vestibus lineis Pontificis & inferiorum sacerdotum ordinariis. Unde hæc forsitan ignorasse putandus est *Bonfrenius*, cum in Levit. c. 16. v. 4. ita scribit: *Hæc omnia ornamenta & vestes sacræ, quæ Pontifici ingressuro in adyta præscribuntur, communes illi erant & inferioribus sacerdotibus; nisi velimus dicere, in eo vestes Pontificis cum vestibus inferiorum sacerdotum convenisse, quod utraq; essent ex lino, & sic aliquam adhuc ostendi convenientiam posse.*

§. 7.

Utut autem non nisi lineo amictu compareret Sacerdos summus coram arca, tamen in ipso templo & atrio sacerdotum aureo amictu cernebatur, siquidem in pretiosis suis vesti-

220,
vestibus jure sacrificium matutinum immo-
labat, suffitumque in altari ejusdem facie-
bat, & lucernas candelabri sacri incendebat.,
atque victimas, ad expiationis diem pertinen-
tes, non vero expiantes, quo poterat, cæde-
bat studio, quæ in sacro codice l.c. describun-
tur. *Conf. Maj. in Abbodat jom Haccippurim c.4.*

§. 8.

Atque sic prima cura Pontificis summi
erat de vestibus; altera erat de rebus in San-
cto Sanctorum expediendis; nempe primò
adolebat ibidem suffitum, deinde aspergebat
sanguinem juvenci, pro peccato Pontificis
summi jugulati, postea sanguinem hirci pro
populi delictis cæsi; denique thuribulum cum
acerra ex Sancto Sanctorum aufererat, & sic
quatuor vicibus illum locum ingrediebatur.
Conf. Maj. in tract. Abbodat jom Haccippurim. c.4.

§. 9.

Idem affirmat *Moses Kotzensis in Parte 2.
libri præceptorum magni, in Hulbot, Abbodat jom
Haccip.* Itaque ab *Hugone Grotio in explicati-
one Epistol. Hebr. 9.* recedendum est, qui existi-
mat

mat primò intrasse Pontificem summum ady-
tum illud intimum, ut thuribulum (quod
ille batillum vocat) inde caperet; & allegat
Kotzensen, cum tamen Kotzensis statuatur
ultima vice ad thuribulum auferendum in-
gressum esse, neque illud thuribulum ex San-
cto Sanctorum ante oblationem suffitus pe-
teretur.

§. 10.

Nec quatuor vicibus ingressum fuisse Pon-
tificem Sanctum Sanctorum negat *Buxtorffi-
us in libro de arca fœderis, cap. 5.* quin potius ex
Maimonide, Abarbanele, & Gersone idem confir-
mat; quando autem dicit, *p. 76.* quod hujus
sententiæ vestigia neque in Scripturæ, neque
in Hebræorum monumentis reperiantur,
non refellit sententiam de ingressu in San-
ctum Sanctorum, sed sententiam *Vilalpandi
de thuribulo,* annuo spatio in Sancto Sancto-
rum relicto.

§. 11.

Non tamen hæc pugnant cum loco *Ebr. 9.
v. 7.* ubi *semel in anno* ingressus dicitur Ponti-
fex

221

fex Sanctum Sanctorum. Idem enim Hebræi, prior-
rem foventes sententiam, simul affirmant. Vid.
Maj. in Beth Habbechira. c. 7. §. 22. Nam *phra-*
sin semel in anno ita interpretantur, quod uno an-
ni die, & in uno eodemque ministerio, ac unam
eandemque expiationem faciens ingressus sit lo-
cum sanctissimum Sacerdos summus, ut licet in-
gressus repeteretur, tamen non nisi pro uno sup-
putaretur; sicut altare suffitus septem vicibus a-
spergebatur sanguine, & tamen semel expiari in
anno dicitur *Exod. 30.* itaque differunt phrases:
semel in anno, & semel in die.

§. 12.

Hinc frustra se torquent *Alphonsus Tosta-*
tus in Levit. p. 286. col. 1. Cornel. à Lapide, & Ja-
cobus Bonfrerius ad Levit. c. 16. existimantes, una
tantum vice ingressum adytum sacerrimum fuisse
Pontificem, & hinc in illud non modò suffitum,
sed & sanguines simul detulisse; sed quomodo illud
contingere poterat, cum suffitu jam delato adhuc
viveret hircus, cujus sanguis deferri debebat; imò
sanguines juvenci & hirci seorsim aspergi jube-
rentur.

§. 13.

Neque rem acu tetigit *interpres Levitici in Bibl.*

B

Vina-

223,
Vinariensibus Dn. Esnerus, Profess. Erfordiensis,
qui duplicem tantum ingressum statuit, unum
cum sanguine juvenci, alterum cum sanguine hir-
ci conjunctum; procul dubio oblitus suffitus, &
thuribuli.

§. 14.

Ut autem res uberius intelligatur, sciendum
est, primo aditu, in Sancto Sanctorum suffitum
fuisse adolendum. Quo in genere officii requi-
rebatur fidelitas Pontificis, ne more Sadducæorum,
priusquam ingrederetur, thus prunis injiceret, sed
cum jam ingressus esset. Hinc juramento se ob-
stringebat, & fidelem se fore aliis sacerdotibus pol-
licebatur, ut legere est in *Smag. in preceptis af-*
firmativis fol. 221. col. 1. Et in Siphra ac Korb. Aha-
ron in sectione Achare Motb. cap. 3. Quæ iterum
opponantur *Tostato* arbitranti ante ingressum
thus debuisse prunis injici *l. c. pag. 280. col. 1. fin.*
Forte etiam huc alluditur *Ebr. 2. 17.* ubi fidelitas
Christo summo nostro Pontifici tribuitur.

§. 18.

Formula autem adigendi Pontificem ad jura-
mentum hæc erat: nos viri sumus Sacerdotis
summi, (sive Sacerdotes) legati Synedrii, & lega-
tio nostra, ac legatio Synedrii (hoc vult,) ut adju-
remus

224

remus te per illum, cujus nomen habitat in æde hac, ne mutes aliquid in quacunqve re, de qua locuti tecum sumus. *Maj. cap. 1. Abhod. jom Haccip. Mischna joma c. 1.* Quam formulam *Dn. Light-foot* in tractatu Anglico de ministerio templi c. 15. ita transtulit, quasi dixissent legati ad Pontificem: tu es legatus noster & Synedrii (legatus) Eundem errorem non viderunt interpretes *Light-footi* latinus, nec ipse *Seringhamius in joma cap. 1. §. 5.* qui aliàs Philologorum lapsus accuratè revocat ad calculum. Nam Pontifex summus legatus Synedrii non erat, multò minus legatus illorum, qui à Synedrio mittebantur. Ergo ita transferendus erat locus, ut nos transtulimus, suffragante *jom. Tos. in Mischn. joma c. 1. §. 5.* & scribente legatos voluisse dicere: hæc est mens nostra, & mens Synedrii.

§. 16.

Hæc de aditu primo. Cum altera vice ingrederetur, deferebat sanguinem juveni pro peccato ipsius Pontificis summi cæsi. Hunc juvenem nolunt appellare vitulum Hebræi, cum jam esset annorum trium, & sic à vitulo distingveretur, annotante *Kimchio in libro Radicum in radicibus Agal & Par.* Unde quando dicitur Ebr. 9. 12. sacerdotem summum ingressum fuisse per sanguinem *יוֹנֵי*

B 2

יוֹנֵי

225
χων melius vertitur, per sanguinem juvencorum,
quam vitulorum, cum Græcum hoc vocabulum
etiam juvencos notet, docente *Scapula* in hac voce.
Nec pluralis numerus in loco Ebr. 9. citato negoti-
um facit. Licet enim uno anno sanguine unius
juvenci, & unius hirci ingrederetur Sacerdos sum-
mus, tamen quia quotannis eadem victimæ expia-
toriæ cædendæ erant, pluralis numerus facilè de-
fenditur.

§. 17.

Cum verò juvenci sanguis spargendus super pro-
pitiatorium, & coram propitiatorio jubetur, prior
phrasis innuit, quod semel super propitiatorium,
altera verò indicat, quod septies infra propitiato-
rium ille sanguis solo digito (ut in sacrificiis expia-
toriis, non item in aliis usu veniebat,) spargeretur.
Non autem illæ aspersiones contingebant propi-
tatorium, sed in aere fiebant, ut sacerdos ad palmi
latitudinem ab arca recederet, commentantibus
ita *Maimonide l. c. c. 3 §. 5. seqq. Kotzense in præ-
cepto affirm. 209. Raschio in Levit. c. 16. Bartenora
ad Mischnam joma c. 5. & Outramo de Sacrificiis
lib. 1. cap. 16.* Si autem ex improvise sanguine tin-
geretur non obstabat. *Vid. Talm. Babyl. jom. c. 5. f. 60.*

§. 18.

Nec est cur tantopere fatigentur *Tostatus, Bon-
frerius*

226.

frerius & Lorinus in Levit. c. 16. ut indagent, quomodo steterit Sacerdos, spargens sanguinem, & quomodo orienti faciem obverterit, cum occidenti videatur illam obvertere debuisse; Nec ad absurdas sententias hac in re explicanda confugiendum est, quasi Sacerdos à parte posteriore propitiatorii pedem fixerit, cum Hebræis inculcanti-
bus inter vectes arcæ staret, quos transilire religio erat, & sic anteriori parti vultum objiceret; Nam Levit. 16. v. 14. non præcipitur, quod Sacerdos vultum obvertere orienti debeat, sed quod versus orientalem partem propitiatorii spargere debeat. Unde eleganter *Lutherus* reddit: *Gegen den Gnadenstuel sprengen vorne an; & Fekutbiel in nova versione Germanica Amstelodami An. 1679. excusa*, optimè transfert eodem sensu: daß er sprengen soll auf der Orientalischen Seite (des Gnadenstuels); Quibus gemina habet *Cornelius à Lapide* in h. l. laudandus quod aliorum Pontificiorum interpretationem deserat. Adstipulantur quoque Angli in sua versione.

§. 19.

Tertio aditu Pontifex summus deferebat sanguinem hirci pro populi delictis jugulati, in adytum intimum; cujus ceremoniæ congruebant ceremoniis in aspergendo sanguine juveni adhiberi solitis. Unde hic prætereunatur. Illud tamen atten-

dendum est, omnia peccata fuisse remissa in festo expiationis, non solum per sanguines in Sanctum Sanctorum deportatos, sed & per impositionem peccatorum hirco emissario factam. Unde Pontifex summus cum confiteretur peccata ante jugulationem juvenci sui, & cum peccata hirco in desertum abigendo imponeret, tribus utebatur vocibus, omnia peccata denotantibus, nempe voce *avon*, *chet*, & *pescha*. Quas voces eruditè explanat *Maimon. in joma c. 4. §. 2.* scribens sacerdotem iis voluisse complecti species peccatorum, quandoquidem *avon* notet peccatum scienter & volenter commissum, *chet* peccatum ex ignorantia commissum, & *pescha* peccatum enorme scienter commissum, cujusmodi sit abnegatio Dei, rebellio, &c. *Conf. Abarb. in propb. posteriores fol. 5. col. 2.* Hinc adhuc hodiernum omnes species peccatorum Judæi confitentur. *Vid. Siddur in Viddui jom. Haccip.*

§. 20.

Facilè igitur apparet *Hugonis Grotii sententiam in Levit. c. 16.* non omnia peccata fuisse expiata asserentis corruere, & aptè a summo *Calovio b. m.* refutari, eandem distinctionem peccatorum urgente in *Bibl. illustr. ad b. l.* Quam operam argumentandi contra Socinianos ex his vocabulis sibi quoque sumit *Joannes Camero in myrotbecio Evangelico ad lo-*

224.

ad locum Hebr. 9. v. 7. Notum enim est, Socinianos levia tantum peccata, quæ vix nomen peccatorum, sed errorum potius merebantur, remissa die hoc solenni fuisse, asserere. Quodsi verum esset, profectò non tantâ sollicitudine se ad hunc diem Judæi præparassent, nec jejuniis se macerassent, nec delicias, quas in lotionibus, unctionibus, & id genus aliis quærebant rebus, omisissent. De quibus consulatur thesaurus præceptorum *Isaaci Athie* linguâ *Castellanâ* scriptus in præcepto affirmativo 167. Vid. etiam *Karo* in *Schylch. Aruch. O. C. num. 603. seqq.* Quid quod ipsum verbum *Cipper.* i. e. expiavit, significet remotionem vel ablationem peccatorum, videlicet secundum reatum, inculcante *Kimchio* in *Radice Cipper.* An autem hoc verbum sit Synonymum verbo *Chitte*, ut existimat *Forsterus* in *Lexico*, in *Rad. Cipper.* in medio relinquitur. Aliàs juxta *Forsterum* *Cipper.* significat abscondere immunditiam, & *Chitte* restituere munditiam.

§. 21.

Sed ut è diverticulo in viam regrediamur, ultima vice intrabat Sanctum Sanctorum Pontifex, ut thuribulum cum acerra ex eo auferret. Quando enim *Hebr. 9. 4.* legitur in Sancto Sanctorum fuisse thuribulum aureum, non imaginemur nobis

QA III 414

nobis, quasi inclusum fuerit perpetuo isti loco, sed quod ad adolendum suffitum in solenni expiatione adhibitum tamdiu in loco sanctissimo relinqueretur, donec aspersi essent sanguines & finita expiatio. Nam petebatur hoc thuribulum ex conclavi vasorum templi, non vero ex Sancto Sanctorum, si suffitus adolendus esset; Ergo non in Sancto Sanctorum erat anno integro. Accedit hoc thuribulum distinctum fuisse à reliquis, quia continebat minorem mensuram, & sic ad diem expiationis, non ad alios dies pertinebat. Vid. Bartenor. in Misch. joma c. 5. Majm. in Abbod. jom. Hac. c. 4. & Kotz. sens. præcepto affirm. 209, circa fin.

§. 22.

Quomodo autem arca fœderis fuerit collocata, ut inter ejus vectes thuribulum deponeret, & hinc auferret Pontifex, describit jom tof in joma c. 5. Seldenus enim in libro de jure nat. &c. arcam delineans oblitus fuit vectium; sicut & Coccejo in delineatione arcæ evenit in Comm. in Ezech. qui posterior quoque altaris holocaustorum non rectè assecutus est imaginem, gradus appingens, & scalam in oriente ponens, ut alia in præsens taceantur.



VON

nc


Q.K. 411,33.

IN
SAN
PO

ad ill

TH
Lin

M.



U IN
CTORUM
ÆORUM

^{12/11}
t.16. & Hebr. 9.
erent

ASSOVIUS,
alium reliqua-
bl.

B E X B E X

OC XCII.

ori,

Æ,
TERI, Acad. Typ.

